



• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



35
COLLEGII TERTII
In Augustanam Confessionem
DISPUTATIO II.

continens

ANTIŌEIN ARTICVLI V.

De

Ministerio Verbi &
Sacramentorum

Proposita.

In Electorali Academia VVittebergenſi

P R Æ S I D E

JACOBO MARTINI S.S. Th.

Doct. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito,

R E S P O N D E N T E

DANIELE Horn/URATISLAVIENSE SIL.

Habebitur

In Auditorio Collegii Veteris

Ad diem 14. Martij.

WITTEBERGÆ,
Typis Hæredum SALOMONIS AVERBACH, Acad. Typogr.
ANNO M DC XXX.

COLLEGIUM
In Augustana Universitate

CONTINENS
ANALOGIAM ARITHMETICAM

Ministerio Verbi

Sacrorum

In Ecclesia Augustana

PRÆSENTATA

JACOBO

Magistro & Praefecto

Magistro

DANIELI

Magistro

Magistro

Magistro

Magistro



D. O. M. A.

Continuatio.



Uæ in præcedente prima Disputatione de præfente Articulo *θεμλίος* proposuimus, ad simplicem Confessionis textum rectè intelligendum, sufficiant: Jam ergò ad *αὐτίθετον* accessum facimus. Ubi varii sese offerunt errores; quos commodè in duas dispescimus classes: Quarum prior sit illorum, qui à Confessione expressè damnantur & rejiciuntur, posterior cæterorum, qui post exhibitam Confessionem illi sese opposuerunt, & erroris ipsam accusarunt.

T H E S I S I.

In prima hac Classe primatum obtinent Anabaptistæ, novi nimirum illi Enthusiastæ, in varias Sectas subdivisi, in *Adamitas, Abecedarios, Frankistas, Flemmingenses* &c. qui verò omnes in eo consentiebant, Spiritum Sanctum sine externo verbo contingere hominibus, tantum per ipsorum Præparaciones & opera. Illorum Coryphæus meritò censetur *Thomas Münzerus* cum sua colluvie. Associatur quoque ipsis hac in parte *Andreas Carolostadius*, certaminis Sacramentarij fax & tuba: nec non *Casparus Svvenfeldius*, Nobilis Silesius, qui superioribus temporibus hæresin istam ex professo propugnauit: quippè voluit omnes non scripturæ aut verbi peritos esse, sed à Deo doctos: idq; non ex libris nec ex auditu & vocali prædicatione, sed è cœlis expectandum

A z

esse

esse asserit. Idem sine verbo externo contingere Spiritum Sanctum docet, quando cum Sanctis Patribus in vita æterna conjungit Herculem, Numam &c. *In expositione fidei.*

II. Uti etiam proximè ad horum castra accessit, & vexillum quasi istis prætulit quondam Cinglius, in sua exegesi sic scribens: *Nos putamus fidem ex verbis hauriri non posse; sed fide Magistra, qua proponuntur, verba intelligi.* Item ad Luth. sermonem, *Fides nequaquam ex verbis desumi potest vel addisci, sed Doctor hujus Deus est.* Item contra Strullium: *Res externe internum hominem aliqua in re juvare, vel fidem augere non possunt.* Admonitus verò à Luthero & convictus in Marpurgensi Colloquio, in hæc præscripta verba consentit: *Spiritum Sanctum ordinaria actione nemini fidem, aut dona sua reliqua conferre extra prædicationem Verbi, sed in hac & per hanc operari, & efficere fidem, quando & in quibus ipsi visum sit.* Anno 1529. Octobr. 3. artic. 8. in Serm. 14. Et tamen in Confessione sua ad Carolum V. sic scribit: *Credo, inò scio, omnia Sacramenta tam abesse, ut gratiam conferant, ut ne asserant quidem, aut dispensent.*

III. Novos hos diximus Enthusiastas respectu Messalianorum, qui sunt primi & veteres Enthusiastæ: de quib. Theodoretus Episcopus Cyrus in sua Ecclesiastica historia lib. 4. cap. 10. sic scribit: *Per id tempus (nempe Anno Christi 371.) Messalianorum hæresis capit pullulascere: Hos, qui nomen eorum in Græcum vertunt, ενχνητασι est, Precatores vocant. Habent etiam aliam appellationem ex rei effectum ductam. Nuncupantur enim ενβροσιασι, id est, Spiritu aliquo afflati, propterea, quod vim demonis cujusdam in animos suos admittunt, eamq; Spiritus Sancti præsentiam esse arbitrantur. Quorum autem mentes hæc contagio penitus infecerit, hi laborem manuum velut vitiosum & improbum avergantur, atque quieti se dedentes, visa somniorum, Prophetias nominant. Videatur de iisdem Nicephorus lib. 11. cap. 14. Et Tripartita historia Eccles. lib. 7. cap. 11. Item Epiphanius lib. 3. tom. 2. hæres. 80.*

IV. Ad classem hanc pertinent quoque Pelagiani & Manichei. Hi enim olim fingeant, purgari hominem & liberari per certa ciborum genera, quibus divina Substantia admixta sit, & per certa quædam exercitia; ut de his videri potest Augustinus Tomo sexto distinctis tractatibus.

V. Illi

V. Illi verò Pelagiani hominis naturali voluntati & arbitrio tribuebant libertatem & facultatem assentiendi seseque applicandi ad gratiam divinam. De quibus copiose disputat *Augustinus Tomo septimo*, utpotè qui oppositus est Donatistis & Pelagianis.

VI. Huc quoque referendi sunt Monachi, & *Andræus* & *Erasmus* & *Themmerus*, item *Franciscus Puccius*, & *Guilielmus Postellus* & similes. Synergistæ quoque, qui docent aliquo saltem modo hominem adjuvare suam conversionem viribus naturalibus. Verùm error hic propriè pertinet ad Articulum 18. qui est de Libero Arbitrio, ubi illum examinabimus.

VII. Post exhibitionem se Confessioni & Articulo huic nostro opposuerunt partim Pontificij, partim alii.

VIII. Inter Pontificios primum meritò locum tenent Catholici illi, qui in Comitibus Augustanis erant cum Imperatore Carolo V. quippè quorum i. generalis responsio tantùm ex parte articulum hunc probat. Ita enim habet: In Articulo quinto, quod Spiritus Sanctus per Verbum & Sacramenta detur, tanquam per instrumenta, comprobatur. Sic enim scriptum habetur Act. 10. Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus Sanctus super omnes, qui audiverunt verbum; & Joh. 1. Hic est qui baptizat in Spiritu Sancto. Quod autem Fidei mentionem hæc faciunt, eatenus approbatur, quatenus de fide non sola, (ut aliqui malè docent) sed quæ per dilectionem operatur, (ut Apostolus rectè docet ad Galatas 5.) intelligatur. In Baptismo enim non sola Fides, sed & Spes, Charitasque simul infunduntur, ut declarat Alexander Papa C. majores, de Baptismo & ejus effectu; quod & antè longè docuit Johannes Baptista de Christo loquens Luc. 3. Ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne.

IX. Ergò reprehendimur, quod doceamus, nos sola fide justificari. Hanc verò non esse nostram, sed Pauli, imò ipsius Spiritus Sancti, doctrinam, proindeque ejus negatione non nobis, sed ipsi veritati cœlesti dicam scribi, sufficienter in præcedente Collegio demonstravimus, nec est, cur actum agamus.

X. Rationem additam ejusque probationem quod spectat, negamus sequi; Fides per charitatem est efficax sive agit; Ergo etiam per charitatem justificat. Probavimus enim hæctenus

A 3

mani-

manifestissimis rationibus ex scriptura desumptis, fidem non justificare activè sive efficienter, sed duntaxat relativè; nempe respectu termini, quem apprehendit, qui est meritum Christi.

XI. Si autem objicias, quòd relatio illa necessariò sit fundata in aliqua virtute sive *ἐνεργεία*; & nobis vel maximè sit concedendum; tùm verò necessariò quoque largiendum est, duplicem esse Fidei *ἐνεργείαν*; alteram qua Fides assurgit ad Christum, tanquam objectum suum proprium, eumq; in Evangelij promissione fiducialiter aspicit & apprehendit. *Ενεργείας* hujus clara fit mentio Joh. 6. v. 40. qui videt Filium, & credit in eum, habet vitam eternam: eamque luculenter typus ænei serpentis exprimit Joh. 3. v. 14. 15. verbis Christi expositus. Alteram, qua se Fides demittit ad proximum, eique per Charitatem benefacit, de qua ad Gal. 5.

XII. Quæritur nunc in qua *ἐνεργεία* fundetur relatio, secundum quam justificare dicitur Fides? Sanè in prima & nequaquam in hac secunda. Quod si verum, uti est longè verissimum, utiq; illa *ἐνεργεία*, de qua loquitur Paulus allegato loco, nihil facit, vel etiam pertinet ad Justificationem, sed tantùm prior illa, proindeque Fides sine charitatis adjumento justificat, solo nimirum salvifico Christi mediatoris respectu; licet à charitate non planè separata sit, sed per illam ratione alterius *ἐνεργείας* ad usus proximi sese exerat: Qui verò usus distinctissimi sunt à Justificationis actu, & ad illum nihil quicquam pertinent.

XIII. Quod deindè autoritate Alexandri Papæ probatur, in Baptismo non solam fidem infundi, sed spem quoque & Charitatem, id nos in conscientia non convincit, ut credamus, cum fides nostra non ab autoritate humana & fallibili, sed divina & infallibili dependeat. Dicitur autem scripturæ ex Luc. 3. v. 16. allegatum, nò loquitur propriè de baptismo aquæ, sed de baptismo ignis. Quorum discrimen in eo est, quod in Aqua Baptismo efficax est Spiritus sanctus ad Regenerationem & Sanctificationem, sicut Joh. 3. v. 5. Tit. 3. v. 5. Spiritus & Aqua in regenerationis lavacro conjunguntur. In baptismo verò ignis opera-

raba-

rabatur olim Spiritus sanctus singularia illa & miraculosa dona linguarum & prophetia. Unde quoque hic Baptismus κατ' ἐξοχήν Spiritus baptismus appellatur. Ut de hoc loquens Christus Act. i. v. 5. *Iohannes, inquit, baptizavit quidem aqua, vos autem baptizabimini spiritu sancto post dies-hosce non multos.*

XIV. Atque hæc locutus est Christus ad Apostolos suos, iam ante baptizatos aqua; ubi etiam Spiritum sanctum acceperant ad sanctificationem, tincti nimirum Johannis baptizate in remissionem peccatorum. Post tempus verò illud, hic à Christo indigitatum, de novo baptizati sunt, non quod aqua rebaptizati fuerint. Minimè. Sed Spiritu, hoc est, donis illis conspicuis ac miraculosis, ubi in visibili illa Spiritus sancti effusione illis hanc contulit facultatem, ut novis linguis loquerentur & prophetarent. Nihil ergo hic locus facit ad rem.

XV. Si verò locum hunc velis intellectum de interna Baptismi efficacia spirituali, ut verbis illis Baptista distinguat externum suum ministerium, quo tantum externè baptizet, ab interna actione ipsius Christi; tum sciendum, quod Baptista nō conferat propriè externum suum baptismum cum baptismo Christi, sicut Papistæ somniant, sed suam personam cum Christi persona, totumq; suum externum ministerium cum interna efficacia Christi, quam metaphoricè, sumtâ à re præsentè (ut solet) voce, vocat Baptismum. Atque tum hic est sensus, quod Christus per externum ministerium suorum præconum poteret internè abluturus sit animam remissione peccatorum, & insuper renovaturus spiritu, instar ignis sordes ac scorias veteris Adami excoquente, purganteq; & ad pietatem inflammante, (quæ phrasîs ex Esaiæ quarto capite est desumpta.) Ecclesiam etiam suam, nunc quidem verbo & spiritu, postea verò etiam externo iudicio per purgaturus, & deniq; extremè damnaturus & perditurus malos: sicut ventilator plena potestate & severitate separat inutiles paleas zizaniaque à tritico.

XVI. Aliàs duplicem usum Baptismi faciunt Scripturæ sacræ: Unum propinquiores, qui est Regeneratio, sive Renovatio Spiritus sancti: alterum remotiores, qui est salus & beati-

beatitudo æterna, & utrumque præstat *ὁργανικῶς*, cum solus spiritus sanctus hic agat *κρυβίως καὶ ἐνεργητικῶς*. Hic enim solus regenerat, solus mundat, solus justificat, & salvat *Ti. 3. v. 5. 1. Ioh. 1. v. 8. Ephes. 5. v. 26. Act. 2. v. 38. 1. Petr. 3. v. 21.*

XVII. Deinde duplex est baptisandorum classis; Adul-
torum videlicet & Infantum.

XVIII. Infantibus per Baptismum conferri fidem, cer-
tum est, siquidem per illum regenerantur, juxta illud Apostoli:
Quicumq; baptisati estis, Christum induistis. Gal. 3. v. 27. Et rursus *Rom. 6. v. 3. Quicumq; baptisati sumus, in mortem ejus baptisati sumus.* Et ipse Christus *Matth. 18. v. 6 & 14. Non est, inquit, Voluntas Patris, ut per-
eat unus ex pusillis istis, qui in me credunt.* Et *Marc. 10. v. 14. talium est re-
gnum caelorum.*

XIX. An autem simul cum Fide per Baptismum infun-
dantur additæ virtutes, quæritur? Accuratè loquendo, & distin-
cta distinctè considerando negatur; Nam distinguendum est in-
ter fructum Baptismi, & fructum Fidei: Fides in Infantibus est
fructus Baptismi: virtutes illæ sunt fructus Fidei. Quocirca
quoad actum primum illas etiam in Infantibus nō negaverim,
licet in actu secundo ob organorum imperfectionē, & medio-
rum defectum se demonstrare nequeant; non verò tanquam
immediatè per Baptismum collatas, sed tanquam ex fide pro-
germinantes.

XX. De adultis paulò aliter censendum est. illi enim
prius sunt docendi, & in vera Fide instituendi, tum baptisandi.
Quare propriè loquendo neq; fides, neq; spes, neq; charitas illis
per Baptismum conferitur, (quippè fidē cum suis fructibus an-
te possident) sed confirmatur & obsignatur, haud secus ac de
circumcisione Abrahami legimus *Rom. 4. v. 12. quod signum ac-
ceperit circumcisionis, signaculum Justitiæ fidei, quæ fuerat in
præputio.*

XXI. Deindè in specie articulo huic sese opposuit *An-
dreas Fabritius*, illumq; primò magni erroris arguit, nempe Pela-
gianismi. Deindè corruptionis & variationis vitio suspectum
facere conatus fuit.

XXII. Fundamentum erroris in hoc posuit, quòd doceamus, hominem fide ad Deum se posse erigere, cujus virtute Spiritus sanctus datur.

XXIII. Respondemus posterioribus hisce verbis: *Cuius virtute Spiritus sanctus datur*, decipere Sophistam fallaciâ à dicto secundum quid: Non enim nos ita simpliciter loquimur, sed potius contrarium, nempe fidem donari, & in nobis gigni non propriis nostris viribus, sed tantum virtute Spiritus sancti. Hæc enim orthodoxa est nostra sententia: per verbum auditum seu instrumentum dari ac conferri Spiritum sanctum, qui ad ciendam in nobis fidem solus sit efficax, & mediante hac consequenter operetur ipsam salutem.

XXIV. Deinde licet ita statuamus, non tamen propterea negamus Spiritum sanctum dari credentibus, sive fide præditis, nempe ratione augmenti, confirmationis & obsecrationis. Sic enim fide ad Deum accedere dicimur, uti id infra pluribus explicabitur.

XXV. Cum ergò in hac nostra sententia fides simpliciter statuatur donum Dei, & solitaria actione (licet mediante ministerio verbi & Sacramentorum, quod tantum instrumentariam rationem habet) Spiritus sancti producta, utpotè liquet calumniosam esse Fabricii accusationem: nos verò quomodo hic Pelagianizent Pontificii, suo loco clarè ac verè ostendemus.

XXVI. Quod porro objicit *variantam editionem*. Illam audaciam ut nos non probamus, proindeque nullam agnoscimus aliam, quam quæ fuerit Augustæ Anno 1530. exhibita: ita quoque culpa in Confessores transferri nequit. Quomodo enim Philippus Melanchthon hoc nomine reprehensus fuerit, notius est quàm quod notissimum.

XXVII. Quod etiam statim post Confessionis exhibitionem & publicationem discrepantia exemplaria typis exscripta fuerint, id rursus non incuriæ vel approbationi Confessorum adscribendum est, sed avaritiæ Typographorum & Bibliopolarum. Quia enim per totam Germaniam, imò etiam per vi-

cina regna de Confessione hac fama increbuerat, quilibet ejus lectionem maximè desiderabat. Hoc quia ignorare non poterant Bibliopolæ, quilibet, ut manuscriptum exemplar, ad se statim post publicationem transportaretur, allaboravit. Indè factum, ut ab illis constituti ac subordinati scribæ & amanuenses festinante calamo multa exemplaria non sine mendis & vitiis exscriberent: Quæ postea ab eruditore correctore revisa, & pro suo placito emendata sunt. Quam avaritiam, temeritatem & audaciam nulli Confessioni Augustanæ verè addicti unquam, probarunt, impedire verò & factum infectum facere non potuerunt.

XXVIII. Tertiò Johannes de Daventria multa in hoc articulo reprehendit: 1. *Quod ministerium quoque porrigendi Sacramenta dicatur instrumentum, ut assequamur fidem.* Id verò falsum esse, sic probare satagit: quia, inquit, *non rectè & salubriter Sacramenta porrexeris, nisi prius credenti.*

XXIX. Sed rationem illam nullam esse, testatur baptismus, qui infantibus administratur. Nam infantes ut baptizentur, ipsorum in peccatis conceptorum & natorum efflagitat necessitas. *Psalm. 51. v. 7. Ephes. 2. v. 3. Ioh. 3. v. 5.* Ante Baptismum igitur sunt extra Christum, ac propterea quoq; sine fide: per Baptismum verò Christum induunt: atq; hoc collatione Fidei; sine qua nemo vel induit Christum, vel in Christo est.

XXX. Deindè per Sacramenta confirmatur, augetur & obsignatur Fides: At confirmare, augere, obsignare fidem: est quoque certo modo dare fidem; nempe dare incrementum essentia ac formalis fidei, quod est ipsa fiducia, & immutabilis certitudo. Beneficio ergò Sacramentorum fidei *ἀληγοφορῆς* & certitudo redditur firmior, certior, imò certissima.

XXXI. Deindè tanquam contradictoria exagitat, quod Lutherus negat per Sacramenta dari gratiam: Confessio verò affirmat per Sacramenta dari Spiritum Sanctum. Respondemus, Contradictionem inter alias etiam hanc requirere conditionem, ut idem de eodem affirmetur & negetur eodem planè modo. Quæ enim quando deest, quæ primo intuitu contrariæ sive contradictoriæ videntur.

vi dentur propositiones, revera tales non sunt. At in hac appa-
rente Contradictione hæc conditio deest. Nam Lutherus negat
per Sacramenta dari gratiam modo illo erroneo, quo Schola-
stici id asseriebant, nimirum tanquam per opus operatum. Con-
fessio verò eandem propositionem affirmat modo illo Ortho-
doxo, quo statuitur Sacramenta esse organa spiritus sancti, &
per illa fidem conferendi & obfignandi. Quod nunquam nega-
vit Lutherus, sed constanter asserit, docet & defendit in omni-
bus suis scriptis.

XXXII. Tertiò reprehendit illa verba (*efficit fidem ubi, &
quomodo visum est Deo in his, qui audiunt Evangelium*) tanquam ob-
scura, & quæ intelligi non possint.

XXXIII. De illorum verborum sensu & explicatione
egimus in prima disputatione. Cohærent enim non tantum
cum proximè præcedentibus, sed cum toto contextu antecede-
nte, ut sit sensus, Deum non uno eodemq; tempore per pu-
blicum verbi ministerium omnibus in locis prædicare Evange-
lium, sed pro suo beneplacito, ubi & quando ipsi visum est.
Sicut etiam dicitur Johan. 3. v. 8. *Spiritus, ubi vult, spirat.*

XXXIV. Deindè simul indicatur, Deum non operari fi-
dem sine mediis à se juxta suam *evidentiam* ordinatis, revelatis &
datis, hoc est, sine verbo suo audito & custodito: proindeq; nul-
lo modo in iis, qui pro suo beneplacito media, quibus ad fidem
se pervenire posse sibi imaginantur, excogitant, ut Monachi in
Papatu: qui sua vita monastica juxta regulas ab hominibus ex-
cogitatas instituta, multa in negotio salutis & sibi, & per ficti-
tia sua opera supererogationis aliis promereri posse jactitant:
omnia igitur juxta Dei voluntatem transigenda esse.

XXXV. Is enim ut voluit, ita etiam suam voluntatem in
Evangelio nobis revelavit, hanc & præter hanc nihil aliud se-
qui debemus, nempe verbum audire, & quidem cum studio di-
scendi. Quandoquidem non etiam sufficit tantum audire, &
postmodum auditum contemnere, vel etiam obiter auditum
mox amittere, vel spinis voluptatum hujus seculi suffocare: sic-
ut exempla Judæorum contradicentium Apostolis, & verbum
gratiæ repellentium: nec non gentium, quæ audiebant, & glori-

Acabant sermonem Domini, eumq; eum gaudio suscipiebant.
fatis clarè ostendunt *Act. 13. v. 46. v. 48.*

XXXVI. Spiritus enim, inquam, ut vult spirat; fidemq;
efficit, ut sibi visum est; proindeq; ipsi soli, quicquid hic boni
peragitur, adscribi ac tribui debet. Auditus enim verbi, licet
& ille requiratur ad salutare hoc opus in homine peragendum:
non tamen est causa *ἐνεργητικὴ*, vel meritoria fidei, ideoq; nec
per se, nec ex se fidem efficit (si enim hoc: tum omnes Evange-
lium audientes converterentur) sed spiritus sanctus, qui se cum
audito verbo conjungit, per illud est efficax, datq; plantationi
ac rigationi incrementum *1. Cor. 3. v. 6: 7.*

XXXVII. Tandem clamitat, *causam illam, ob quam conde-
mnemus Anabaptistas, nullam esse.* Rationem dat hanc ipsam: *Quia,
inquit, spiritus sanctus etiam datur sine externo verbo, nempe per verbum
internum, quod non est infirmius externo verbo.* Quod etiam Johan-
nes Hofmeisterus repetit & objicit *pag. 55. col. 1.*

XXXVIII. Respondemus, spiritum sanctum agere pos-
se, & sæpius quoq; egisse sine externo verbo non negari à Con-
fessoribus, non ignorantibus ipsum se non absoluta quadam ne-
cessitate, sed liberrimo suo beneplacito ad verbum externum
alligasse; proindeq; quandoquæ sibi visum fuerit, omninò posse
etiam extra illud, & sine illo agere, & pios motus in homine
producere. Verùm distinguendum est inter operationes spiri-
tus sancti ordinarias & extraordinarias. Extraordinariè qui-
dem Deus & spiritus sanctus multa agere potest, sed aliter sta-
tuendum est de ordinariis Dei actionibus. Ubi si quis affirmet,
Deum ordinariè accendere fidem absq; verbo externo; illum
oportet apertè defendere furores Enthusiasticos, totumq; mi-
nisterium verbi & Sacramentorum evertere.

XXXIX. Objicit Hoffmeisterus, & autoritate Schola-
sticorum confirmat, *negari non posse, quod gratia non sit alligata Sa-
cramentis.*

XL. Respondemus id cum grano salis acceptandum &
intelligendum esse, nempe de extremæ necessitatis casu, ubi ob-
tinet Regula. *Non privatio sed contemptus Sacramentorum damnat.* De-
indè

indē etiam respectu Dei, qui ut liberrimum agens est, & ad nullas creaturas ulla aliqua necessitate est alligatus, sed à cuius liberrima voluntate pendent omnia: Sic neq; Sacramentis est alligatus: Interim nos sumus alligati ad observandum ordinem, nobis divinitus præscriptum.

XLII. Quocirca nos vi ordinationis divinæ, sic non, ut diximus, necessitatis extremæ casu excludamur, tenemur, nos ad media illa, nempe ad verbum & Sacramenta, alligare. Nam Deus ipse *Deus nūc* ad illa sese alligavit, ut scriptura multis locis nos docet.

XLIII. Atq; hæc sunt quæ contra hunc Articulum statim post exhibitionem à Pontificiis sunt objecta. Quomodo autem consenserint inter se, manifestū est ex verbis Hofmeisteri, quibus hunc locum concludit pag. 56. col. 2. *Qui sunt Filii pacis, inquit: & alme concordie, & qui tranquillitatem quarunt Ecclesie, nec hūc quidem articulum explodent. Meo quidem iudicio magis adversatur opinionibus Zwinglianorum & Anabaptistarum, qui adhuc nolunt cristas ponere, quam nobis, quos per contemptum Pontificios vocant. Ergo non est eadem omnium Papistarum de hoc articulo sententia.*

XLIV. Cæterum quæ in fine antitheseos de Præparationibus adduntur, præter Manichæos & Anabaptistas, quorum Coryphæus Thomas Monerarius has finxit præparationes. 1. Entgröbung. 2. Studierung. 3. Verwunderung/ 4. Die lange Zeit. 5. Wesprenung &c. accommodari possunt ad præparationes Papisticas: quibus hominem ad Justificationem præparari Pontificii concedunt.

XLV. Solere enim, ait Costerus, in mutationibus naturalibus accedere quedam, quæ subjectum præparent ad formam, quæ inducenda sit, suscipiendam: sic tabulam priusquam colore inficietur, poliri, atq; aptari, certoq; loco ad pictoris manum constitui: aquam tales faciendam ex flumine hauriri, cacabo infundi, igni admoveri. Pari ratione ante hominis Justificationem præcedere nonnulla, quæ tamen si eam neq; efficiant, neq; mereantur, aptent tamen hominis animum ad justitiæ infusionem.

XLVI. Has præparationes duū esse generum, idem Costerus ponit. Alias nimirum à solo Deo esse sine nobis; Alias verò à Deo simul &

B-3

nobis.

nobis. Illas vel externas esse, vel internas. Externas, scilicet occasiones varias, quas Deus immittat nihil minus opinantibus: Sic Paulum caelesti fulmine prostratum: Alios plurimos miraculis commotos: Antonium ingr. ssum in Ecclesiam subito audivisse: Si vis perfectus esse, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me. Internas verò, admonitionem & illuminationem mentis, bonamq; affectionem voluntatis. Sic Pauli cor prosternendo tactum: Petrum in domo Pontificis solo interno aspectu ad pœnitentiam commotum: Quæ sunt hujusmodi, designari prævenientis gratiæ nomine.

XLVI. Alterum præparationis genus continere opera, quæ post primos illos impletus à nobis cum divino auxilio perficiuntur. Primò fidem, qua mens illuminatur; secundò spem, qua erigatur; tertio pœnitentiam, qua emolliatur. Has tamen nondum esse virtutes Christianas, quoad infusa gratia & charitate cœlitus illustrentur.

XLVII. Atq; propterea porrò tradunt, fidem non solū justificare, sed cum fide, spem, pœnitentiam, charitatē, imò charitatem præcipuè. Sic enim scribit Pererius in Gen. c. 15. *Tantum abest, ut sola Fides justificet, ut ad justificationē ejus, non modo necessaria sit charitas, verum etiam potiores ac præstantiores partes habeat.* Et Turrianus pro Epistolis libri quinti, capite 4. *Fides neq; quando sola est justificare potest, neq; quando cum charitate est, sua tantum ratione justificat, sed ratione charitatis, quæ eam perficit & sanat, & faciet ut sit virtus Deo placens.*

XLVIII. Quod ergò attinet præparationes illas, sciendum nos tantum de conversione & justificatione hîc agere, quæ fit modo ordinario, ideoq; quæ de miraculosis conversionibus adferuntur, nihil ad rem.

XLIX. In ordinaria itaq; conversione concedimus, distinguendum esse inter ea, quæ præcedunt illam, quæ efficiunt illam, & quæ sequuntur illam: quæ absq; omni dubio in extraordinaria quoq; & miraculosa conversione ita distingui possent.

L. Antecedentia conversionem & justificationem sunt, quod homo studio quodam carnali possit frequentare templū, audire verbum Dei, & quidem cum quadam attentione, uti Sacramentis &c. Verum illis suis actionibus hominem se præparare

parare & disponere, habilemque facere ad conversionem, nequaquam concedendum est: haud secus ac rusticus, qui lignum in officinam statuarij advehit, ex quo postea artifex ille faciat Mercurium, ista sua vecturam neque preparat, neque disponit lignum, ut ex ea fiat statua, sed tota illa & preparatio & dispositio, & efformatio fit a causa principali nempe statuario. Sic homo frequentans templum nihil aliud facit, quam quod utens sua locomotiva, se tanquam lignum spiritualiter demortuum, & objectum in quod spiritus sanctus agere potest, in officinam spiritus sancti, in qua sonat verbum Dei, quasi advehat, & cum brutus non sit, verbum ibi praedicatum & circumsonans audiat: Quod quando factum est, tum in ipso per sua media spiritus sanctus operari incipit: ut ergo rusticus neque est, neque dici potest ibi causa formationis statuae a ligno, sed illa solitaria est, & manet unicuique Statuarius cum suis instrumentis: Sic neque homo utens sua locomotiva perque eam se in officinam spiritus sancti inferens, dici potest causa vel preparatoria, vel perfecte efficiens, vel etiam adjuvans suae conversionis & justificationis; sed illa unica ac totalis manet solus spiritus sanctus cum suis organis.

L I. Distinguendum enim est inter causam proprie sic dictam, quae efficaciter agit, & inter conditionem subjecti, quae requiritur, ut in id causa perfecte efficiens agere possit; Ut ergo ad lignum, ex quo statuarius debet formare Mercurii statuam, haec oportet accedat conditio, ut in officinam statuarii invehatur: cum artifex in non Ens vel lignum absens agere non possit, & extra suam officinam agere nolit: Sic etiam si spiritus sanctus in hominis mentem per verbum & Sacramenta agere debeat, oportet homini haec quoque adsit conditio, ut nimirum se praesentem in officina spiritus sancti sistat, quippe qui hanc dedit promissionem Exod. 20. v. 24. *In omni loco, in quo meminisse fecero nominis mei, veniam ad te & benedicam tibi.*

L II. Non ergo metuendum per hanc nostram Orthodoxam sententiam stabiliri *συνεργείας* haeresin, ut quidam nobis objiciunt. Quomodo enim homo potest esse *σύνεργος* suae conversionis.

versionis sive justificationis, si ad eam non concurrat ut causa, & efficaciter agat? Jam autem demonstratum est, quod actiones illæ externæ nihil faciant vel ad præparationem, vel ad effectum justificationis: Ergo nihil efficiunt: & *συνέργεια* locum non habet. Uti id pluribus in prima disputatione demonstravimus.

L III. Interim hujus nostræ sententiæ usus est latissimus & luculentissimus. Agitur à fanaticis quæstio: Si non absolutum Dei de salvandis tantum aliquibus, damnandis autem reliquis decretum, nec synergismus, nec raptus violentus, sive Enthusiasmus statuendus sit; qui fiat quod non omnes salventur? Proxima responsio est, quod non credunt omnes. Pergunt illi: Cur non credunt omnes? Respondent verò isti: Quia non datum est omnibus. Assentimur hætenus.

L IV. Longius quærendo procedunt: Cur non datum est omnibus? Hic statim isti subjiciunt erroneam suam, & periculosissimam responsionem: Quia nolit Deus; qui diversum absoluto propositi sui decreto sternerit. Quam igitur nos tanquam impietatis plenam, non possumus non abominari: Quare propriam ex proxima & genuina causa depromptam responsionem afferimus: Non credere omnes, quia abjiciant medium, per quod donetur spiritus sanctus, qui fidem efficit, nimirum auditum Evangelii, quem præstare omnes poterant, quoque præstato, spiritum sanctum accepturi fuerant, qui fidem in omnibus: talem efficeret. Sic ergo propria ac prima damnationis hominum causa quæ sit, primò cognoscitur.

L V. Quæstione hac sic piè dextreque explicata, immota stat fides nostra contra blasphemos & empæctas, Deum velle, ut salventur omnes, nec cadere in Deum ullum aliquod absolutum de damnandis hominibus decretum.

L VI. Rectissimè quoque hinc cognoscitur veritas dicti illius Osæ 13. v. 9. *Perditio tua ex te Israel; tantummodo ex me salus tua.*

L VII. Rectissimè porrò hinc solvi possunt diversæ quæstiones, utpotè sunt: utrum Prædestinatio à Fide, an fides à prædesti-

destinatione pendeat? Cur Ethnici, licet extra Ecclesiam constituti, verbum Dei non habuerint, sint inexcusabiles? Item, An Deus ab Ethnicis aliud etiam quippiam requisiverit, quam ex visibilibus mundi operibus Deum agnoscere, licet ipsum ut DEUM non coluerint? Item, quomodo intelligenda sint verba Act. 13. v. 48. *Crediderunt quotquot ordinati erant, ad vitam eternam?* Quandoquidem hæc unica ad vitam æternam est ordinatio, ut credentes salventur; credant autem, quotquot studiosè verbum Dei audiunt: cum id Spiritus sancti sit *ὄργανο* qui mediante hoc organo in audientibus fidem certissimè efficit.

LVIII. Atque tandem hinc itidem causa est manifesta & gravissima, cur subinde inculcandus sit Auditus verbi. Cùm enim fides habeat promissionem salutis, fidei verò tantum sit in nobis, quantum auditui verbi plerumque à nobis tribuitur: tantundem salutem hominum periclitari necesse est, quantum auditui deedit.

LIX. Quod ultimò attinet præparationes Papisticas, sunt mera figmenta & somnia, sine ullo fundamento Spiritus sancti excogitata. Allegetur locus scripturæ, qui minimo saltem indicio testetur fidem esse præparationem ad justificationem. Contrariam est in scripturis manifestissimum: Quando fide toties dicimur justificari, fidesque asseritur ad justitiam imputari, & ne semel quidem eâ nos ad Justificationem præparari, Rom. 3. v. 28. *Colligimus igitur fide justificari hominem absque operibus legis.* Rom. 4. v. 5. *Fides imputatur pro justitia;* Conferatur v. 21. 22. 23, 24. Gal. 2. v. 16. *Scimus non justificari hominem ex operibus legis, sed per fidem Jesu Christi: & nos in Christum credimus, ut justificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis.* Sententia ergò Spiritus sancti est, nos revera justificari fide, non primùm ad justificationem præparari.

LX. Quod attinet reliquas præparationes, neque illas concedimus. Nam quæ sequuntur Justificationem per-

actam

actam ; non possunt esse preparationes ad Justificationem.
Atqui enumeratae virtutes sequuntur justificationem pe-
ctam ; Ergo non possunt esse preparationes ad justificatio-
nem.

LXI. Major per se certa est: cum preparatoriae causae
precedere, non sequi, debeant effectum. Minorem in praece-
dente collegio satis manifeste demonstravimus d. sput. 13. thes.
31. & sequentibus. Deinde si Fides sola just. ficet sine ope-
ribus & virtutibus istis allegatis, neque opera ulla, neque vir-
tutes illae possunt esse preparationes ad justificationem : Sed
verum est prius, nempe Fides sola justificat ; Ergo & posterius :
neque opera illa, neque virtutes illae possunt esse prepara-
tiones. Quod argumentum quoque sufficienter est a nobis
declaratum, & confirmatum in allegata di-
sput. 13. per totam.

SOLI DEO GLORIA.



Præstantissimo Domino Respondenti
amico suo.

SIS pius, & Domino, qui providus omnia cernit,
Rem committe tuam, vertet is omne malum.
Sedulus incumbis studiis, Sacra Biblia volvis,
Cum fructu ut quondam munus obire queas.
Perge viam ceptam, precibusq; ardentibus insta:
Atq; bonus, Domino dante, minister eris.

Amicitie ergo
scribebat.

M. Johannes Scharfius
Log. Profess. Publ.

Ad
Præstantissimum ac Literatissimum
Dn. RESPONDENTEM

Fautorem & Amicum
Singulariter dilectum

ERgò non satis est, HORNI, lustrasse SOPHIAM
Doctè: THEOLOGIAM quin quoq; nosse juvat?
Expedit, atque Ministerii defendere Sacri
Zelo in Morosophos maxima Iura pio?
Hem benè! Nam Famulas & Munere placat Amator,
Optato & Domina gaudet amore frui.
Pergito sic porrò, Studium & conjungito utrumq;
Sic eris, ecce! Sophus Theologusq; bonus.

Gratulab.
l. m. q; f.

M. CHRISTIANUS REINHARTUS
Vittebergensis, Facult.
Philos. Adjunctus.

Præfatione Domini Responsarii

Præfatione Domini Responsarii

anno 1600

Præfatione Domini Responsarii

Præfatione Domini Responsarii

Præfatione Domini Responsarii

Præfatione Domini Responsarii

Præfatione Domini Responsarii

Præfatione Domini Responsarii

Præfatione Domini Responsarii

Præfatione Domini Responsarii

M. Johannes Schererus

Præfatione Domini Responsarii

Præfatione Domini Responsarii

Præfatione Domini Responsarii

Præfatione Domini Responsarii

Præfatione Domini Responsarii

Præfatione Domini Responsarii

Præfatione Domini Responsarii

Præfatione Domini Responsarii

Præfatione Domini Responsarii

Præfatione Domini Responsarii

Præfatione Domini Responsarii

Præfatione Domini Responsarii

Præfatione Domini Responsarii

Præfatione Domini Responsarii

M. Johannes Schererus

Præfatione Domini Responsarii

Præfatione Domini Responsarii



99 A 6900

ULB Halle 3
002 622 092



SB

Repro

VD 77







35

TERTII
Confessionem
ATIO II.

nens
ARTICVLI V

o Verbi &
ntorum

ita
mia VVittebergenfi
S I D E

RTINI S.S. Th.
rimario, Facult. Theol.
i Arcis Præposito,
DENTE

TISLAVIENSE SIL.
itur
ollegii Veteris
Martij.

ERGÆ,
AVERBACH, Acad. Typogr.
OC XXX.